

illoque potenter expandat; an potius nervi ob vim suam elasticam motus omnes præstare valeant, nondum satis probatum est. Id vero negari nequit, dari in nervis fluidum, quod nervos ad necessarios motus peragendos irrigat. Multi sunt alii liquores in humano corpore, ut *saliva, liquor glandularum œsophagi, bilis &c.* quorum ope alimenta facilius digeruntur. Totum corpus humanum tegitur *epidermate* seu cuticula, quæ est membrana tenuissima, sensu destituta, ex squammulis composita, copiosis sulcis & poris distincta, per quos sudor elabitur; inservit venustati corporis & defensioni. *Cutis* est integumentum totius corporis admodum crassum, ex meris fibris nervosis tendinosi & vasculis sanguiferis intertextum, in quo copiosæ papillæ prominent, & cujus sulci ac pori, pro exhalante sudore, cum cuticula sunt communes; tegit cutis partes subjacentes, vi sua constringente vapores expellit, estque ob insignem sensibilitatem organum tactus.

Dividitur corpus in caput, truncum, & artus. *Caput* est suprema corporis pars globosa quæ cervici seu collo incumbit. Ossa capitis constituunt *cranium & maxillas*. *Cranium* est veluti theca ossea durissima, in cujus ampla cavitate cerebrum continetur. *Cranium* dividitur in *sinciput* seu partem anteriorem cum facie glabra, & in *occiput* seu partem posteriorem cernibus rectam. Duæ sunt maxillæ, superior immobilis, & inferior mobilis. Cerebrum gaudet figura globosa & substantia molli